

supra : secunda ratio est dubietas baptismi. Sed hæc etiam est inefficax propter rationem modo factam de infantibus, et præsertim quia hæretici fere omnes recipiunt baptismum, unde rite administrant illum. Unde tertia vera ratio est hanc irregularitatem esse impositam propter crimen baptizati adulti, qui poterat a catholico recipere baptismum. Unde nostra conclusio solum procedit de adultis.

ARTICULUS II.

Utrum per indebitam susceptionem aliorum sacramentorum incuratur irregularitas?

I. Navarrus in manuali, capite xxvii, num. ccxlvii et alii juristæ tenuerunt incurri irregularitatem per iterationem sacramenti confirmationis quorum ratio erat, quia ubi est eadem ratio est eadem juris dispositio, sed currit eadem ratio de iteratione confirmationis ac de iteratione baptismi, cum utrumque sacramentum imprimat characterem, nec iterari possit; ergo.

II. Nihilominus vera sententia est opposita quam modo communiter tenetur universi theologi, et juristæ, inter quos est magister Nugno iii, quæst. lxxii, art. v part. conclusione iii, et Suarez tom. v, disp. xlii, sect. ii. Et probatur efficaciter, quia in jure nulla extat talis irregularitas, nec argumentum a simili est efficax in materia de irregularitate, ut sæpe diximus. Illa autem regula, scilicet, ubi est eadem ratio est eadem juris dispositio, est intelligenda quando jus constituit universaliter decretum de rebus ejusdem ordinis: in præsentem autem dum fit sermo de irregularitate contracta per iterationem baptismi, solum constituit

decretum de isto sacramento in singulari, sicut de sacramento ordinis (ut statim dicemus) unde non comprehenditur sacramentum confirmationis.

III. De eucharistiæ autem sacramento oportet distinguere, nam in illo sæpe conjunguntur simul duo, videlicet et ministerium ordinis administrando illud, et receptio ipsius sacramenti. Regula igitur generalis est, per nullam indebitam susceptionem hujus sacramenti incurri irregularitatem, quia in jure non extat talis irregularitas. Ratione autem ministerii ordinis, quod exercetur in isto sacramento a celebrantibus illud incurritur sæpe irregularitas quæ tamen pertinet ad sacramentum ordinis. De quo statim dicemus.

IV. De pœnitentiæ autem sacramento manifestum est etiam per nullam indebitam susceptionem ipsius incurri irregularitatem. Solum igitur advertendum est cum Bellarmino tom. iii, libro primo de pœnitentia, cap. xxi et xxii triplicem esse pœnitentiam, videlicet privatam quæ est sacramentum, et publicam, et solemnem quæ non sunt sacramenta, et per solam pœnitentiam solemnem incurri irregularitatem, quæ irregularitas potius reducitur ad eam quæ oritur ex infamia. Cum autem talis pœnitentia solemnis jam non sit in usu in Ecclesia, ideo ablatum est fundamentum talis irregularitatis.

V. De sacramento autem extremæ unctionis magis certum est nullam incurri irregularitatem per indebitam susceptionem ipsius, imo regula generalis est, per nullam susceptionem alicujus sacramenti quantumcumque peccaminosam incurri irregularitatem, si talis susceptio consideretur quatenus præcise est susceptio sacramenti, ut ostendit inter alios Suarez in illa sectione secunda,

in qua non fit sermo de baptismo, nec nos comprehendimus illum in ista regula, quia jam de eo egimus articulo præcedenti.

VI. Tota ergo difficultas est de sacramento ordinis, et de sacramento matrimonii, de quibus multa supersunt dicenda quæ tamen placet relinquere pertractanda in suis propriis locis, cum de his sacramentis agatur. Et interim legatur Suarez in illa disputatione xlii, sect. iii, ubi late examinat sexdecim casus, in quibus incurritur irregularitas per indebitam ordinum susceptionem. Et sectione quarta late disputat de irregularitate, quæ contrahitur per indignam ordinis usurpationem, et sectione quinta late etiam examinat alios octo casus, in quibus incurritur irregularitas per indignam ordinis administrationem. De sacramento autem matrimonii iterato, vel semel facto cum vidua, sive corrupta, constat incurri irregularitatem bigamiæ, de qua in superioribus egimus, et late tractat Suarez disputatione xlix per totam, unde in præsentem nihil restat supraddendum.

VII. Quæstiones aliæ de ista irregularitatis materia poterant in præsentem disputari, nempe de irregularitate proveniente ex infamia, de qua tamen satis diximus, et legatur Suarez disputatione xlviii. Et similiter de irregularitate proveniente ex defectu natalium, de qua Suarez disputatione ; et de irregularitate proveniente ex defectu personali inculpabili, de qua Suarez disputatione ii ; et de irregularitate proveniente ex defectu personali culpabili, videlicet ex hæresi, et simonia, et aliis hujusmodi, de quibus Suarez disputatione xliii ; et frater Manuel Rodriguez tomo primo quæstionum regularium et alii auctores. Nos igitur ab his disputandis abstinemus, et suis propriis

locis relinquimus, nec in hoc loco sunt adeo necessaria, cum sint raro contingentia, et minis prolixa eorum disputatio.

DISPUTATIO XVIII.

DE POTESTATE DISPENSANDI SUPER IRREGULARITATE.

ARTICULUS I.

Utrum episcopi habeant potestatem dispensandi in irregularitate homicidii voluntarii liciti?

I. In hac difficultate sunt tres sententiæ. Prima asserit, quod episcopi ex jure antiquo communi poterant dispensare in hac irregularitate homicidii voluntarii liciti, idque modo possunt, si quidem quantum ad hoc non est revocatum jus antiquum per aliud novum jus. Auctores hujus sententiæ suppresso nomine refert Suarez disputatione xlvii, sectione vi, circa finem.

II. Secunda sententia asserit, quod in hac irregularitate possunt omnino dispensare episcopi non ex jure antiquo communi, sed ex jure communi novo, videlicet ex facultate concessa illis in Concilio Tridentino sess. xxiv, in decreto de reformatione, capite vi, ubi conceditur facultas episcopis, ut possint dispensare in in omnibus irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, excepta irregularitate homicidii voluntarii. Ex quibus verbis desumitur argumentum: Nam irregularitas homicidii liciti non comprehenditur sub exceptione illa, scilicet sub irregularitate

homicidii voluntarii, quia homicidium licitum non dicitur homicidium simpliciter, et absolute loquendo, sed multum improprie, cum homicidium importet occisionem injustam, et illicitam proprie loquendo; ergo hæc irregularitas, quæ contrahitur ex occisione justa, et licita cum non comprehendatur in illa exceptione, comprehenditur in concessione Concilii.

III. Confirmatur, quoniam irregularitas homicidii voluntarii illiciti longe difficilius dispensatur, quam irregularitas homicidii liciti voluntarii; tum, quia ratione ipsa constat graviorem esse indecentiam in homicidio illicito, et quia illicitum, et quia voluntarium; tum, quia expresse decernitur in Concilio Tridentino sess. XIV, cap. VII, quod super irregularitatem homicidii voluntarii illiciti nunquam fiat dispensatio, sed talis homicida omni prorsus ordine, ac beneficio, atque ecclesiastico officio perpetuo careat. Ergo cum sub illa determinatione, et decisione non includatur homicidium voluntarium licitum, consequenter non includitur in illa exceptione, quæ habetur in capite VI, sessione XXIV.

IV. Confirmatur secundo, quia homicidia ista licita comprehenduntur a jure sub homicidio casuali: cum igitur in illo decreto Concilii solum excipiatur irregularitas homicidii voluntarii, quatenus a casuali distinguitur, videtur consequenter dicens concedi episcopis facultas dispensandi in irregularitate cujuscumque homicidii casualis, sub qua continetur hæc irregularitas homicidii liciti. Istam sententiam sic probatam tenet Covarruvia in clementina Si furiosus de homicidio, parte secunda, quem etiam alii jurisperiti sequuntur. Et eandem tenet Emanuel Rodriguez tomo primo quæstionum regularium, quæst. XXIV,

art. VIII. Et movetur iste auctor argumento facto cum prima confirmatione: Covarruvia autem movetur secunda confirmatione.

V. Tertia sententia est omnino negativa asserens, quod episcopi nullo modo possunt dispensare in hoc irregularitate; hæc est communior sententia, quam tenet Navarrus in manuali, cap. XXVII, et Bagnez 2-2, quæst. LXIV, art. VIII, et Salon et Arragon, et Suarez in illa disputatione XLVII, sect. VI. In hoc dubio duo sunt, quæ possunt habere difficultatem. Primum est, circa fundamentum, quo moventur aliqui ex auctoribus secundæ sententiæ, videlicet, nomine homicidii voluntarii non comprehenditur occisionem hominis justam, et licitam; secundum est de principali quæstione. Et quidem circa primum non solum aliqui ex auctoribus secundæ sententiæ tenent, quod nomine homicidii voluntarii in ordine ad irregularitatem inducendam non intelligitur occisio hominis justa, et voluntaria, verum etiam plures auctores tertiæ sententiæ id ipsum existimant. Ita Suarez et magister Bagnez 2-2, quæst. XL, art. II, dub. IV, quamvis quæst. LXIV, art. VIII, ubi disputat de dispensatione hujus irregularitatis, oppositum teneat. Cajetanus insuper in summa, verbo irregularitas universalem tradit regulam, videlicet, quod quotiescumque conceditur facultas dispensandi in omni irregularitate, excepta irregularitate homicidii voluntarii, conceditur facultas dispensandi in irregularitate contracta ex occisione hominis voluntaria justa, et licita. Et ratio ejus est, quia talis occisio hominis non comprehenditur sub nomine homicidii voluntarii, cum illud importet injustam, et illicitam occisionem hominis.

VI. Dico tamen primo: Probabilius est, quod in materia irregulari

tatis nomine homicidii voluntarii intelligitur occisio hominis voluntaria justa, et licita. Hanc sententiam tenet magister Bagnez, et Arragon, et Salon supra citati. Quin potius plures doctores hoc supponunt tamquam certum in ista materia, quamvis loquendo in rigore metaphysico nomen homicidium solum importet occisionem illicitam hominis (ut nos etiam diximus in initio hujus tractatus) unde nomine homicidii voluntarii quoad irregularitatem inducendam comprehenditur occisio hominis voluntaria, et licita. Probatur igitur conclusio, quoniam jura indiscriminatim loquuntur in materia irregularitatis appellando homicidium occisionem justam, ut constat in clementina de homicidio Si furiosus, ubi occisio hominis facta in defensionem propriam quando aliter quis evadere non potest, appellatur homicidium. Constat autem talem occisionem non esse illicitam, sed licite fieri, et sine peccato. Et deinde in titulo de homicidio voluntario, et casuali plura appellantur homicidia, quæ tamen non censentur irregularitatem inducere, quia non fuerunt aliquo modo voluntaria, et consequenter nec peccata.

VII. Confirmatur, quia potissima indecentia, quæ in hac irregularitate consideratur ab Ecclesia non est ratio culpæ homicidii, sed ratio voluntariæ occisionis, et effusionis sanguinis in ordine ad repræsentandam mansuetudinem Christi, quamvis etiam culpa homicidii majorem inducat gravitatem. Et hæc ratione diximus supra irregularitatem homicidii voluntarii culpabilis non esse censuram impositam in penam peccati, sed esse solum canonicum impedimentum, sicut est irregularitas homicidii voluntarii liciti. Merito ergo tam in jure, quam in communibus disputationibus de materia irregularitatis nomine ho-

miciidii comprehenditur tam licitum, quam illicitum, quia in utroque potissima indecentia reperitur.

VIII. Major tamen difficultas est de homicidio facto in defensionem propriam cum moderatione inculpatae tutelæ, an illud comprehendatur sub homicidio voluntario. Ratio dubitandi est pro parte affirmativa, quia tale homicidium non est casuale, cum homicidium casuale secundum jura semper sit illicitum; ergo continebitur sub homicidio voluntario. In contrarium tamen est, quia hoc homicidium non est, nec potest esse volitum, sed ut plurimum per accidens subsecutum; ergo non potest comprehendi sub homicidio voluntario, cum homicidium voluntarium sit per se volitum. Pro hujus resolutione distinguendum est de homicidio facto in defensionem, nam vel potest fieri servato moderamine, vel illo non servato. Et rursus si non servetur moderamen, vel excessus, qui fit in non servando moderamine, vel est parvus, vel magnus.

IX. Dico igitur secundo: Homicidium factum in defensionem propriam cum moderamine debito proprie loquendo, nec comprehenditur sub homicidio voluntario, nec sub casuali; reducitur tamen ad homicidium casuale. Prima pars hujus conclusionis satis constat ex dictis a nobis disputatione secunda hujus tractatus, ubi satis ostendimus homicidium voluntarium debere esse per se volitum in se, sive in sua causa; ergo cum homicidium factum in defensionem cum moderamine nec sit volitum in se, nec in sua causa, nullatenus est voluntarium proprie loquendo. Secunda vero pars, videlicet non esse proprie casuale probatur, nam quamvis homicidium casuale secundum amplam extensionem comprehendat homicidium prævisum, quod regulariter subsequi potest, et de facto

subsecutum est, nihilominus tamen in ordine ad inducendam irregularitatem illud solum casuale homicidium dicitur, quod est culpabile, et secundum rigorem juris imputatur ad culpam; ergo cum homicidium factum in defensionem cum moderamine sit inculpabile, non est censendum proprie casuale secundum jus. Tertia vero pars, videlicet illud reduci ad casuale probatur, quia cum sequatur multum per accidens, et ex alia parte omnino differat a voluntario, sapit naturam alterius extremi, videlicet homicidii casualis.

X. Ex ista conclusione sequitur, quod si privilegium concedat facultatem dispensandi in omni irregularitate homicidii voluntarii, concedit consequenter facultatem ad dispensandum in omni irregularitate homicidii facti in defensionem, etiam honoris, et bonorum temporalium innocentis. Et ratio est, quia cum hæc irregularitas non comprehendatur sub exceptione illa, et facultas sit ad omnem aliam, extenditur etiam ad istam.

XI. Dico tertio: Homicidium in defensionem, si non servetur moderamen inculpatæ tutelæ, excessus tamen in illo non servando fuit parvus, tale homicidium sub casuali comprehenditur. Probatur ex dictis, nam illud per accidens reducit in voluntatem, et non per se, et alias est culpabile; ergo habet conditiones homicidii casualis, quod in jure sic appellatur, et super eo potest fieri dispensatio virtute privilegii exceptantis tantum homicidium voluntarium (ut dicebamus in fine conclusionis præcedentis) Advertendum tamen est circa istam conclusionem, quod excessus parvus non censetur ille, qui solum est peccatum veniale, nam fortassis quicumque excessus quantumcumque parvus

semper est mortale peccatum, cum sit in materia homicidii, et raro potest oppositum contingere; sed dicitur excessus parvus, quia quamvis sit mortale peccatum, non tamen est sufficiens, ut voluntas intendat occisionem illam directe in se, vel in sua causa, et hac ratione parvus excessus ille extrahit homicidium extra omne homicidium voluntarium per se, juxta dicta disputatione secunda.

XII. Dico quarto: Quando excessus est magnus in non servando moderamine inculpatæ tutelæ tale homicidium continetur proprie sub voluntario. Ratio hujus est, quia tunc est per se intentum, sive per se volitum in se, sive in sua causa; ergo formaliter inducit rationem homicidii voluntarii. Et si inquiras, quomodo cognoscetur sufficienter quando excessus sit magnus, vel parvus respondetur, quod quando aggressus nihil curat, nec cogitat de servando moderamine, sed solum de conservandis rebus suis, tunc excessus erit magnus. Cæterum quando intendit, et curat servare aliquo modo moderamen debitum, si fiat excessus in illo servando, censi debet parvus.

XIII. Circa secundum punctum hujus articuli dico quinto: Secundum jus commune antiquum episcopi non habebant facultatem ad dispensandum in irregularitate homicidii voluntarii liciti. Ista conclusio est contra primam sententiam; sed nihilominus est communis doctrina, quamvis difficile sit efficacem ejus probationem assignare, cum facultas ad dispensandum in irregularitate quacumque non sit episcopis deneganda, nisi expresse fiat exceptio in jure, quia episcopi in sua diœcesi jure divino habent eandem potestatem, quam Romanus pontifex supra totam Ecclesiam. In jure autem canonico non de facili reperitur, ubi hæc facultas

ARTICULUS II.

Utrum episcopi habeant potestatem secundum jus commune antiquum ante Concilium Tridentinum ad dispensandum in irregularitate homicidii voluntarii illiciti occulti?

I. Et ratio dubitandi est a parte affirmativa, quia talis irregularitas non legitur in jure reservata summo pontifici. In hac difficultate unum videtur supponi, et alterum inquiri. Nam in titulo quæstionis supponitur homicidium voluntarium illicitum occultum inducere irregularitatem, et inquiritur de ejus dispensatione. Et quidem circa primum Emmanuel Rodriguez tom. primo quæstionum regularium, quæst. xxiv, art. xi, cum aliis auctoribus, quos ibi refert, affirmat tale homicidium omnino occultum non inducere irregularitatem, ac subinde nullam requiri dispensationem illius quamvis oppositum censeat esse probabile.

II. Dico tamen primo: Parum probabilis est sententia illa asserens præfatum homicidium illicitum, et omnino occultum nullam inducere irregularitatem. Ista conclusio satis constat ex dictis a nobis in disputatione secunda hujus tractatus, et ex capite Quæsitum, quod est ultimum de temporibus ordinandorum. Et videtur manifeste colligi ex Concilio Tridentino sess. xiv, cap. vii de reformatione, unde mirum est, quod præfatus auctor Emmanuel Rodriguez conetur probare suam sententiam ex antiquo jure, et ex novo Concilio Tridentino cum in utroque nostra sententia contineatur.

III. Dico secundo: Probabilis est episcopos non posse secundum

sit episcopis denegata. Nihilominus tamen existimo efficaciter probari istam conclusionem ex capite Miror, dist. l., et sequentibus duobus, et efficacius ex capite Continebatur de homicidio, in quo irregularitas homicidii fere casualis, et aliquo modo voluntarii reservatur summo pontifici; ergo a fortiori irregularitas homicidii omnino voluntarii.

XIV. Dico sexto: Probabilius est episcopos etiam post Concilium Tridentinum nullam habere facultatem ad dispensandum in irregularitate homicidii voluntarii liciti. Probatur ratione efficaci desumpta ex decreto Concilii Tridentini sess. xxiv, cap. vi, ubi solum conceditur episcopis facultas dispensandi in omnibus suspensionibus, et irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto; sed hæc irregularitas homicidii voluntarii liciti nullatenus provenit ex delicto occulto; ergo non potest dici, quod episcopis post Concilium liceat in hac irregularitate dispensare. Ex ista conclusione sequitur, quod cum homicidium voluntarium licitum non comprehendatur sub homicidio proprie voluntario (ut diximus) ideo non includitur in illa exceptione Concilii. Et ex alia parte non includitur in illa concessionem (ut modo probavimus in ista conclusione) et subinde ex vi decreti Concilii nec tollitur, nec conceditur episcopis facultas super irregularitate hujusmodi homicidii voluntarii liciti, quocirca si aliunde haberent potestatem dispensandi super illam, non tollitur per Concilium Tridentinum, sicut nec datur de novo.